DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

ASTHMATE.

QUAM
Summo Auxiliante Numine
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. ANTONII MATTHÆI,
J. U. D. ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Ultrajectinâ Profeſſoris Ordinarii,
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
Pro Gradu Doctoratus ſummiſque in Medicinâ Honoribus & privilegiis ritè ac More Majorum conſequendis.
Publicè ſine Præſide defendere conabitur,
CORNELIUS WESTWOUDE, Hornâ-Weſtfriſ.
Ad diem 12. Martii, hora locoque ſolitis.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ *ANTONII SMYTEGELT*, Bibliop.
Anno cIↄ Iↄ c LXVII.

Conſultiſsimo, Spectatiſsimoque VIRO,

D.D. CORNELIO WESTWOUDE,

Reip. Hornanæ Exconſuli graviſſimo, Senatori vigilantiſſimo, Parenti meo, Studiorum meorum Curatori unico, ad extremum vitę halitum venerando.

INSUPER

Omnibus FAUTORIBUS atque AMICIS.

Hanc Diſputationem

quam humillimè offero & inſcribo

CORN: WESTWOUDE,

Auth. & Reſp.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

ASTHMATE.

Immenſa ærumnarum ſeries, & plurimorum morborum examina nobis, quos ſpatioſi machina mundi complectitur, hominibus ventis obvehuntur adverſis: inter quæ Aſthma *multorum malorum mater, non infimum locum obtinere videtur; Quod, cum inter quatuor materias, de more, mihi à Celeberrima Facultate Medica præſcriptum ſit (veluti crebrum & graviſſimum humani generis affectum) ſeligere conſultum mihi viſum fuit.*

THESIS I.

QUemadmodum in Reip. Statu, aut civili Societate nunquam res benè procedunt, niſi membra inter ſe concordiæ vinculo unita fuerint: Ita etiam tota Oeconomia corporis noſtri nunquam auſpicio Fauſto provehitur, niſi partium optimè ſibi mutuo correſpondentium Harmonia obſervetur: Sed è contra, deſtructâ hâc partium Harmoniâ, omnia ruinam machinantur, corporis Oeconomia pervertitur, celeri curſu omnia devaſtantur, & corpus excarnificatur, unde tandem mors. Igitur ſine ulla procraſtinatione res inquirenda eſt.

II.

ASTHMA Græco verbo gaudet, atque ab ἀσθμαίνειν, quod eſt *anhelare*, nomen ſortitur; unde quibuſdam *anhelatio*, aliis *ſuſpirium* dicitur; quæ vocabula cum jam quodammodo læ-

 ſam

ſam reſpirationem declarent, nos de nomine parum erimus ſolliciti, res ipſas potius enucleare, quam verbis dimicare, ſtudebimus. Propoſituri examen iſtius difficilis reſpirationis quæ Medicis propriè aſthma nominatur, & ab angina, pleuritide, peripneumonia aliisve his ſimilibus morbis non producitur.

III.

Reſpirandi autem difficultas, quæ in hoc morbo ſe conſpicuam præbet, triplex eſt, magnitudine differens, vel enim non admodum magna eſt, vel major, vel omnino maxima: Non admodum magna, *Diſpnæa* dicitur, per quam anſelitus crebriores, quam ſecundum naturam, ducuntur, non tamen eo modo, uti iis contingit, qui cucurrerunt, vel montem aliquem conſcenderunt: Altera reſpirandi difficultas, quæ major eſt, *Aſthma* ſive *anhelatio* dicitur, & in hac non ſolum cum difficultate, ſed & cum ſtertore & ſtrepitu fit reſpiratio: Tertia, quæ maxima difficultate fit, cum non niſi cervice & corpore erectis anſelitus trahitur, *Orthopnæa* dicitur.

IV.

Atque hæ præcipuæ difficilis reſpirationis ſpecies ſunt, quæ tantum ſecundum magis & minus, pro ut affectus intenſio eſt, differunt; cum vero mihi illas particulatim tractare non impoſitum ſit, de *Aſthmate* me potiſſimum ſollicitum habebo.

V.

Eſt igitur *Aſthma* reſpiratio difficilis, frequens, velox, anheloſa & diuturna, orta à meatuum reſpiratorium anguſtia.

VI.

Partem affectam ſtatuo pulmones aut aſperæ arteriæ in pulmonum ſubſtantiam diſſeminatas propagines, cum igitur per illas ſpiritus vehi ac revehi debeat, facillimè vel ob oppreſſionem aut obſtructionem impeditur, quam ob cauſam Sibilus ex pectore prodiens exauditur: pulmonum etiam

tiam affectus è thoracis diſtenſione abſque ullo dolore vel tumore muſculorum thoracis, vel intercoſtalium patet; qui materiâ viſcidâ aut flatibus, modo ſecundum ſubſtantiam, modo ſecundum ſua bronchia ex parte repleti, liberam aëris inſpirationem impediunt. Cum pulmones à materia aliqua diſtenti, ab aëre, cum inſpiratione impellendo non diſtendi vel aliquâ ex parte tantum poſſunt; tunc liber ille aëris fluxus ut & refluxus impeditus difficilem reſpirationem inducit.

VII.

Præter enumeratas difficilis reſpirationis differentias, peculiares quædam adhuc in *Aſthmate* conſiderandæ ſunt, aliud dicitur recens, aliud inveteratum; periodicum & continuum: mitius & ferocius: ſiccum & humidum: primarium vel per conſenſum. Primario igitur afficitur pulmo, quando crudi, lenti, viſcidi, pituitoſique humores in pulmonum bronchiis infarcti, ſpiritus itinera obſident: vel crudum aliquod tuberculum in pulmone aſperam arteriam coarctans natum fuerit. Per conſenſum vero afficitur quando hepar tumidum, ſeptum transverſum comprimit, & per conſequens libertatem reſpirandi impedit; ſic etiam in membranæ pleuræ inflammatione, ut & Aſcite, ac in defectu menſtruorum.

VIII.

Præterea quoniam *Aſthmati* ſtertor, ſibiluſve adjungitur, atque hic ſonus non ſolum ab ægris percipitur, ſed etiam ab adſtantibus longè quandoque remotis facile exaudiri poteſt. ubi vero anguſtia major redditur, in agone mortis verſari videntur. Fit autem ſibilus quia aër percutitur & alliditur ad ſolida corpora, atque hoc contingit cum citatiſſimo fertur per anguſtas vias motu, eò vero citius fertur & ſibilus major evadit, quò magis via ſeu ſpatium liberum denegatur.

IX.

Tuſſis etiam difficilis ægroque valde moleſta tandem his

bus ſupervenit, quâ aliquando multa phlegmata viſcida, quandoque etiam ferè nihil ob materiæ vel tenacitatem vel tenuitatem excernunt patientes. Quæ tuſſis vulgo matutino & veſpertino tempore vehementior eſſe dicitur: matutino puto tempore, quia per aëris nocturni frigus in pulmone magis craſſeſcunt & tenaciores fiunt pituitoſi humores: in capite etiam eadem de cauſa plures colliguntur, & ſi inde *Aſthma*, copioſiores ad thoracem defluunt: Veſpertino autem tempore, cum ſe ad ignis calorem vel lectum optime contra injurias aëris ſtragulis armatum conferunt, acres illæ particulæ magis extenuantur, quò pulmonum membranis magis impingere poſſunt.

X.

Hinc jam ſatis liquet, quamobrem etiam ſeptentrionalis ventus ipſis Aſthmaticis adeo inimicus ſit; quia nimirum ſuo frigore poros conſtringit, humores ac vapores condenſat, caput & pulmones refrigerat. Qui ventus ipſis æſtate & autumno damnoſior eſt quam hyeme; quia tunc à calore externo corpus ſæpe nimis incaleſcit, hincque copioſi vapores excitantur, qui ſuperveniente repentina aliqua refrigeratione, bronchiis frigidioribus facile adhærent & agglutinantur.

X I.

Cauſæ igitur proximæ hujus morbi ſtatuuntur variæ: Secundum Galenum duæ tantummodo Aſthmatis cauſæ ſtatuuntur: una, cum multi craſſi & viſcidi humores bronchia pulmonum obſtruunt: Altera, cum crudum aliquod tuberculum in pulmonibus excitatum eſt, quod itidem impedimento reſpirationi eſſe poreſt. Sed præter has dictas cauſas unam adhuc atque alteram recentiores agnoſcunt,

X I I.

Eſt autem p. n. pulmonum connexio, quæ eos libere moveri non permittit, & anheloſos dum moventur reddit; quod nonnullis ab ortu, aliis poſt caſum, aut pleuritidem eveniſſe,

veniſſe, ex ſectione anatomica ſatis manifeſtè ob oculos põnitur. Eſt etiam ſecundum Cl. Sennertum, (quam volumus) pulmonis & aſperæ arteriæ ramorum per pulmonum ſubſtantiam diſſeminatorum obſtructio aut oppreſſio, quæ aëris liberum tranſitum impediens, ab humore pituitoſo, aqueo, in coryza & aliis morbis, ex capite ſenſim per aſperam arteriam ad pulmones delabente oritur: qui igitur in ramis pulmonum anguſtioribus conſiſtens & mucoſitatem acquirens, ſua viſciditate vias obturans, difficilem cum ſtertore ſtrepituque reſpirationem parit.

XIII.

Quæ mucoſitatis viſcidæ tenacitas ſi excreari nequeat, affectum diuturnum hic conciliare poteſt; Sic etiam ab excrementis pulmonum pituitoſis illic continuo congeſtis retentiſque & incraſſatis oritur. Præterea ſicut ſanguinis copia in cerebro p. n. accumulata, ejuſdem minima vaſcula nimis replet & infarcit, ſicque nimiam anguſtiam faciens ſoporoſos affectus inducit, ita etiam ſanguis nimia copia in pulmonem impulſus ejuſque ſubſtantiam diſtendens, reſpiratorias vias comprimit, ſicque difficilem reſpirationem facit.

XIV.

Cauſæ remotæ ſunt, humor pituitoſus per totum corpus redundans, & omne quod ad collectionem materię pituitoſæ aliquid facit, vel ad ejus pręparationem, vel verſus bronchia pulmonum motum; quæ materia per ſe frigida facillimè ab externa aliqua cauſa refrigeratur, & ita non tam fluxilis propter diſſipatos ſpiritus, in pulmonum bronchiis coaguli inſtar adhæreſcit.

XV.

Hic morbus adhuc à duplici cauſâ originem ducere ſtatuitur, modo ab externis, modo ab internis: Externæ autem ſunt cauſæ; ut aër frigidus, qui ſanguinem in pulmonibus contentum, ut vergat ad pejorem, refrigerat; huc accedunt

exha-

exhalationes fumoſi, vapores craſſi, è carbonum fumo excitati, ut & lapidum inciſorum pulveres, qui ſpongioſam pulmonum ſubſtantiam replere poſſunt.

X V I.

Cauſæ internæ autem ſunt, cum propter frigiditatem ſanguis ſtagnans, nimis incraſſatur, vel catarrhus, aut in coriza pituita, à partibus ſuperioribus in aſperam arteriam aut pulmonum bronchia defluens; vel materia in angina ſuppurata, quæ in pulmonum bronchia deſcendit, ſuffocationem ſæpe minatur: vel ab in corpore redundante cacochymiâ fiunt.

X V I I.

Signa hujus morbi facile ſe manifeſtant; laborantes enim (ſi febris ſint expertes & nulla in humoribus aut ſanguine eſt putredo) crebrè, densè, & anhelosè, ſi vero malum invaleſcat, erecto collo reſpirare, neceſſum habent.

X V I I I.

Cauſarum autem ſigna imprimis obſervabimus; quippe ſi humor pituitoſus hæreat in bronchiis, reſpiratio fit cum Stertore, & tuſſi, per quam, ſi materia excernatur, levamen ſentitur, & pro tempore aliquando ceſſat affectus. Si vero in ipsâ pulmonum ſubſtantiâ humor ſubſiſtit, difficilis itidem eſt reſpiratio, malum pertinacius, & nihil exſpuit æger.

X I X.

Si vero humor per intervalla affluat, anhelatio non ita continuo adeſt; ſi vero ſenſim, gradatim moleſta fit reſpiratio: ſi à capite catarrhi defluant, ſigna ſe ſatis manifeſtant. Si crudum tuberculum in cauſa ſit, raro quid expectoratur, & anhelatio indies major fit.

X X.

Morbus hic eſt admodum periculoſus, propter gravem affectum partis, cujus uſu carere non poſſumus. In gravi Aſthmate ſi nova defluxio è capite ad bronchia delabatur, facile ſuffocatur æger. Materia viſcida in pulmone conten-

ta

ta quo citius coquitur & exſpuitur, eo citius liberatur æger.

XXI.

Verum cum non ſufficiat praxin exercenti Medico morbum cum cauſis eum producentibus ſolummodo cognoſcere, ſed etiam neceſſe ſit cauſas tollere, & ægros ab illâ moleſtiâ liberare: ideo morbo & cauſis jam explicatis breviter curationem adjungam, quam exiſtimo quo citius eo melius inſtitui debere, juxta illud Ovid.

Principiis obſta: ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Cum hic morbus per intervalla invaſionem facit, primò quid in ipſâ exacerbatione, denique quid extra agendum ſit, conſiderabo.

XXII.

In curatione, tempore exacerbationis obſervandum eſt, ne æger ſuffocationis periculum incurrat, collo & corpore erecto collocetur. ne major humoris peccantis affluxus ad partem affectam fiat, evacuandus & ſiſtendus is eſt; interim omni ſtudio tentandum humorem jam motum, è bronchiis per medicamenta expectorantia educere, qualia ſunt oxymel ſimp. & ſcylliticum, ſyrupi ex radicibus aperientibus & herbis pectoralibus, hyſſopo, capillis veneris, aliiſque multis parati.

XXIII.

Docet experientia aliquos magno cum ſucceſſu ægris ſuis propinaſſe vomitorium; ita ut hoc ſolo remedio paroxyſmus fuerit ſolutus, forte quia ex concuſſione ventriculi & partium adjacentium, materia pulmonibus impacta, & pituita in ventriculo contenta (quæ remota cauſa eſt) excutitur. Cum igitur ventriculus & prima corporis regio ſæpe ſcatent humoribus crudis, pituitoſis, qui aliquando Aſthmatis cauſæ remotæ ſunt, etiam vomitorium prodeſſe

 poteſt:

poteſt: Sed tamen non temere imitandum cenſemus, niſi æger ſit ſatis validus & ad vomitum proclivis. Nam tempore acceſſionis, vomitus haud ſine periculo inſtituitur, quoniam materia ſurſum ejicienda, comprimendo aſperam arteriam ægrotum valde anxium ſuffocare certè poſſet.

X X I V.

Paroxyſmo verò ceſſante, purgetur æger ſingulis ſeptimanis ſemel cum pilulis cochiis, aureis, hierapi: vel hauſtu aliquo phlegmagogo, ex infuſione agarici, jalappæ, ſenæ &c. Venæſectio in ejuſmodi pituitoſis & frigidioribus ſubjectis ſępæ parum, interdum leve aliquod levamen adferre ſolet.

X X V.

Si verò materia nimis ad tenuitatem vergat, ita ut tuſſi educi nequeat, ſed continuo iterum ad pulmones delabatur, quod nonnunquam contingit, præſertim ubi ſpecie catarrhi à capite ad pulmones delabitur, ea incraſſanda eſt, ut ſic commodius expectoretur; & tunc adhiberi poteſt linct: aut tabulatum tale.

℞. *Spe. diatragacanthi fri:*
Rad. Althææ.
glycir: raſæ ana ℥j.
croci ℈j.
ſacchari aquâ tuſſilaginis diſſoluti ℥iij.
Fiat S. art. tabulatum.

X X V I.

Cum è contrario viſcidi & craſſi catarrhi peccant, incidendum & attenuandum.

℞. *Syrop. helenii.*
de hyſſopo.
de praſſio.
ana ℥jß miſ. F. linctus.

Plura

XXVII.

Plura medicamenta, & illorum formulas hic addere non opus eſſe judico, quoniam magnâ copiâ tum apud Platerum, Sennertum, alioſque egregios medicos deſcripta inveniuntur, & ab unoquoque inde facile peti poſſunt.

XXVIII.

Poſtremò remediis modò dictis adjungenda optima Diæta, illa enim niſi bene inſtituatur, facillimè recidivam patitur æger: vitet igitur aërem pluvioſum, frigidum & turbatum. Cibus ſit facilis coctionis & boni nutrimenti, ſint carnes gallinarum, caponum, pullorum &c. vel earum juſcula condita hyſſopo thymo, fœniculo, &c. vitentur ea quæ craſſum & viſcidum ſuccum generant. Potus ſit vinum tenue, ſubdulce, aut aqua mulſa in quâ quædam thoracica medicamenta decoqui poſſunt. Somnus ſit moderatus, non diuturnus. Exercitium habeat modicum: fugiantur omnia, imprimis triſtia animi pathemata. Evacuationes ſint convenientes, & aluus aut naturâ aut arte moveatur.

COROLLARIA.

I.

Uterus in ſuffocatione uterinâ ſurſum nunquam movetur.

II.

Uterus non ſemper eſt ſedes paſsionis hyſtericæ; cum non tantum viri ſimili quandoque paſsione affligantur, ſed etiam iiſdem, quibus fœminæ medicamentis curentur.

III.

Generatio hominis fit ex ſemine utriuſque parentis:

IV.

An ſemen deferatur ab omnibus partibus ad teſtes? neg.

V.

Gravidis venam aliquando ſecare licet.

VI.

Etiam venæſectio larga in muliere prægnante minatur maximè abortum, ſi fœtus ſit grandior.

VII.

Lac ex ſanguine arterioſo in mulieribus gignitur.

VIII.

In hydrope aſcite paracenteſin inſtituere licet.

IX.

Pinguedinem eſſe corporis partem affirmo.

X.

Fames ex ſucco ventriculum rodente fit.

XI.

Teſtes non ſunt partes principes.

XII.

Chylus non ingreditur venas meſeraicas.

XIII.

Sectionem cæſaream inſtituere licet.

XIV.

Infantes facilius hydrocephalo laborant, quam homines provectioris ætatis.

FINIS.